



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

§. 2. Expenduntur actiones prohibitae in bullae Coenae, aliaisque decretis  
circa supradictos libros

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

nomine libri hæ paræ scripturæ comprehenderentur, non liceret eas publicare, sine nomine authoris subscripti, quia Concilium expostulavit: at communis usus obtinuit, vt hæ sine nomine authoris comunicentur, vt testatur Azor tom. 1. lib. 8. cap. 17. *quæst. 4. fin.* Ergo. Quod autem hæ sine approbatione imprimi, & communicari non possint, non est, quia sub nomine libri comunicantur, sed quia continentur sub nomine cuiuscumque scripturæ, quæ imprimi, & publicari non potest absque approbatione, ex lapud dicto Lateranens. Concilio, & tradit. Azor *suprà q. 2. Neque obstat.* Quarto, concedo omnia illa partem esse posse libri, sed quia nec sunt, nec unquam fuerunt, ideo nunquam sunt prohibita illa clausula Bullæ Cænar; secus de præfatione, quæ de facto cum aliis librum prohibentur composuit, quia prohibito libro, & partes prohibita manent. Ad quinam fateri disputationem, & lectionem decem fo ia continentes librum esse, & sub prohibitione Bullæ Cænar; cadere. Ad vitium nego gratia frequentioris usus nomen libri fuisse appositum, sed quia in libro maius periculum inuenitur, & factus hæreses tentantur, difficiliusque cognoscuntur.

6. Ceterum si prohibitionem expurgatorij Romani, ex decreto Trident. editi, & expurgatorij Hispani attendamus, hæc omnia si ab hæreticis sint composita, quamvis errorem non contineant, sunt prohibita sub pena excommunicationis ipso facto, quousque examinata, approbataque sint.

7. Quinto infero sub prohibitione Bullæ Cænar; comprehendi solam eos libros hæreticorum, qui vel hæresim conditionibus sufficit, vt sub prohibitione comprehendantur, vt de se constat. Circa quæ verba est aduertendum, si liber solam vnam hæresim contineat, etiam si totus liber de re profana sit, illa sufficit, vt totus liber prohibitus maneat, quia verè liber est continens hæresim, Neque requiritur, vt ex professo liber tractet de hæresi, ita vt argumentum libri sit de hæresi, sufficit, si hæresim contineat, quia hoc tantum Bulla requirit. sic Bonacina *disp. 2. q. 5. p. 4. num. 19.* Coninch *disp. 18. de fide. dub. 11. n. 177.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. n. 35.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 11. sect. 2. n. 10.* *de fide disp. 20. sect. 1. n. 16.* Farinac. *q. 180. de hæresi. n. 22. sine.* quamvis Grassi *lib. 4. de cens. cap. 18. n. 40. & 50.* requiratur, vt de hæresi liber ex professo tractet, sed immerito hoc requirit, & contra communem.

Neque valet si tu ab illo libro hæresim expungas, quia particularis expusio non tollit communem libri prohibitionem, sic Sanchez *lib. 2. cap. 10. n. 35.* Bonacina *n. 19.* Dicitur autem de religione tractare liber, si tractet de Scriptura sacra, aut aliqua illius parte de Theologia Dei, & Sanctorum, de recta morum institutione, & de his contrariis. Requiritur tamen, vt ex professo, & ex immituto de his tractet, non obiter; aliis non cadet sub prohibitionem: sic Sanchez *num. 21.* Suarez *suprà Farinac. n. 32.* Coninch *suprà Verum si prohibitionem spectes expurgatorij Romani editi iussu Clement. VIII. & Bullam Pauli V. pro regnis Hispaniar; & Inqui. s. f. r. generalis. mandatum, prohibitus est quicumque liber hæreticorum, etiam si de religione non tractet, neque hæresim contineat, nisi prius a probetur, & examinetur per ibidem signatos, quia Ecclesia intendit, ne filij sui ex tam turbido fonte veritatem eliciant, nève auctoritatem aliquam tribuant iis, qui à suo gremio recesserunt: sic, aliis relatis Farinac. *n. 22.* Sanchez *num. 26.* Coninch *disp. 18. dub. 11. n. 79.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 14.**

## §. II.

Expenduntur actiones prohibita in Bulla Cænar;, aliisque decretis circa supradictos libros.

1. Enumerantur actiones, & quæ ignorantia excuset ab incurrenda censura.
2. Quid sub nomine lectionis intelligatur.
3. An si alium audias legentem, vites censuram? Proponuntur varia sententia.
4. Probabilis videtur oppositum.
5. Soluuntur rationes contraria.
6. Examinatur, an excusetur à censura, & peccato mortali ob paruitatem materia, & quæ hæc sit.
7. Prohibetur retentio horum librorum.
8. Quid si ad consultandos errores, absque periculo peruersionis retineas.
9. Tenendum est te censuram incurere.
10. Quid si breue tempus retineas. Apponitur sententia Suarez.
11. Quid sentiendum sit.
12. Excusas Bullæ censuram si statim comburis, sed non vitas excommunicationem latam à Iulio III. & à Paulo V.
13. Prohibetur impressio horum librorum: & qui sub hac actione comprehendantur.
14. Tandem prohibetur defensio librorum.

15. Quid de transpositione, venditione, asportatione librorum hæreticorum.

1. Actiones prohibita sunt, lectio, retentio, impressio, defensio, venditio, emptio, & asportatio. De singulis breuiter est dicendum, & pro omnibus aduertendum est, ob has actiones non incurri censuram, nisi sciens fieri; quia ita cauetur in supradictis decretis. Quapropter si detur ignorantia vel prohibitionis, vel censura, peria incurrenda excusatur, vt constat ex dictis de legibus, & censuris, & in præfati tractat Suarez *disp. 20. sect. 2. n. 17.* Sanchez *lib. 2. de censur. cap. 10. num. 38. & 39.* Farinacius de hæresi, *quæst. 180. num. 44. & 45.* & alij ab eisdem relati. Adde non solum ignorantiam vicumque excusare, sed ignorantiam crassam, & affectatam, modò non sit ingens temeritas; quia laborans illa ignorantia scire dici non potest. Si autem adsit ingens temeritas, iam adsit scientia, quia hæc non contingit sine graui suspitione malitiae, sic Sanchez *lib. 2. in de censur. cap. 10. num. 32.* Durand. *lib. 2. in canon. 1. quæst. 36. n. 3.* Bona in *disp. 2. de censur. q. 5. punct. 4. n. 8.*

2. Prima actio prohibita est lectio, non exterior, & materialis, quæ solum verba perficit, sed formalis, quæ sensum verborum intelligit, quia hæc sola est lectio propria quamvis Bonacina contrarium sentiat *disp. 2. de censur. q. 5. p. 4. n. 14.* sed non est audiendum, quia in contrarium stat communis sententia, vt ex Doctoribus statim referendis, & ex relatis constat. Non tamen est necessarium, vt verbis profers rem lectam, sufficit si vili, & mente scripta percipias, sic Sanchez, relato Vgolino, Grassi, & aliis *lib. 2. cap. 10. num. 41. & 51.* Suarez *disp. 20. sect. 2. n. 18.* Bonacina *disp. 2. de censur. q. 5. p. 4. n. 12.* & omnes communiter.

3. Difficultas est, an vites censuras, si alium legentem hos libros audias? Negat absolute Suarez *disp. 20. sect. 2. num. 9.* etiam si legentem ad lectionem non induxeris, Mouetur primum, quia idem est periculum in hoc modo legendi libros, ac in lectione facta per propriam personam. Secundo, quia ratio prohibendi lectionem medio vili, est, ne percipitur doctrina praua, & hæretica, sed per auditum efficacius percipitur Ergo quæ lectio per auditum est prohibita. Tertiò, lectio duplicem actionem includit, prolationem verborum, & illorum intelligentiam, & hæc secunda est præcipua, Ergo ratione illius potest dici vere legere.

Alij distinctiōne vtuntur, dicunt enim, si causa non es lectiois tuo consilio, aut mandato non esse comprehendendum; secus vero, si aliquo modo ad legendum induxeris. Priorem partem probant, quia tunc nequaquam proprie dici potest legere, etiam per alium; siquidem alius non nomine tuo legit, neque lectio illius tibi tribui potest, at quando consilis, mandas, vel inuocis, vete dici potest legere medio alio, quòd videtur sufficiens, vt sub nomine legentis comprehendaris præcipue in prohibitione respiciente bonum commune, & defensionem fidei, sic docent Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 4.* Sayrus *de hæresi casuum tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 14.* Grassi *1. p. de cens. lib. 4. cap. 18. num. 45.*

4. Ceterum mihi probabilis apparet in neutro casu audientem legari hac prohibitione sic relato Vgolino docet Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 48.* Egidius Coninch *disp. 18. dub. 11. num. 178.* vbi ait non esse omnino improbabile inducentem ad legendum excusari à censura contra legentes lata; putat tamen certum, quando audiens non est causa lectionis Farinacius de hæresi, *quæst. 180. in summario. n. penult.* Reginald. Duar. Fil-lucius, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *disp. 2. de censur. quæst. 5. punct. 4. num. 11.* Ratio est, quia leges penales extenuantur non sunt vicia propria significationem; sed sub verbo legentis non comprehenditur audiens legere, etiam si ad legendum induxerit, quia inducto ad legendum non est lectio, neque etiam auditus est lectio, quia legere proprie est visu, & mente scripta percipere. Ergo ob auditum lectionis, cuius audiens causa fuit, nequit sub prohibitione aduersus legentes comprehendere.

5. Ex qua ratione soluantur fundamenta contraria. Ad primum pro sententia Suarez nego esse idem periculum in auditu ac in lectione, quia auditus non potest esse sine alio, secus verò lectio; & non ita facile committitur peccatum, cum indiges tercio, quom solum potes efficere. Ad de eoucello gratis esse idem periculum, si auditus non comprehenditur sub lectione, nequit prohibitio ad auditum extendi.

Ad secundum dico rationem prohibitionis esse, ne percipitur doctrina hæretica medio ita facili, & secreto, quia est lectio, cuius facilitas, & secretum in auditu esse non potest.

Ad tertium admitto perceptionem sensuum, & verborum esse præcipuam partem lectionis; at nego sine perceptione per viliam propriam dari posse lectionem. Argumenta illius sententia: media soluta manent dicendo improprè & metaphoricè dici auditum lectionis esse lectionem per alium, & cum audis legere per alium, & in legibus penalis non debet fieri extenno ad sensum proprios, Familiaris autem de mandato domini legens, si sensum verborum percipit, non est dubium, quin incurat in excommunicationem contra legentem, nisi

mi foret grauis damni periculo excusetur : sic omnes Doctores supra citati.

6. Secundo dubitatur, an excusetur a censura, & peccato mortali ob paritatem materiae, & quae hæc sit? Negant plures te excusari, sic Vgolin. tractat. de censuris 2. part. in glossa, ut coramdem libris, num. vers. 8. Tolet. de instrum. Sacerdot. lib. 1. cap. 19. n. 9. præcipue in casu, quo intendit plura folia libri hæretici legere, & penitentia ductus post paucas lineas relinquit: Et ratio esse potest, quia iam illa actio exterior est peccatum mortale. Ergo sufficiens ad incurrendam censuram. Nihilominus probabilius sentio, qui paucas lineas legeret, etiam si prius animum habuisset plura legendi, non contrahere censuram; quia licet lectio illa sit peccatum mortale, non est mortale ex ratione lectionis exterioris, sed ex voluntate, quæ contra fuit, sicut si animo plura furandi assumeres assensum; & statim desisteres; peccatum mortale committeres, non ex exteriori furto, sed ex praua intentione plura furandi. Excommuniatio autem non intentionem punit, sed executionem illius; in executione autem non est materia grauis peccati mortalis, quia regulariter non videtur esse graue periculum peccationis in lectione quatuor, vel decem linearum: sic Suarez disp. 20. sect. 2. num. 20. Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 31. Cominch. de hares. q. 180. n. 40. Bonacina de disp. 2. de censur. q. 1. punct. 4. num. 13. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 6. q. 3. & in eisdem relati.

Hanc autem materiam paritatem extendunt aliqui ad vnam paginam libri in folio impressi, eo quod non videtur in tam leui lectione adesse regulariter graue periculum, sic relaxo Esau, Viualdo, & Saa, docet Sanchez num. 31. sine Cominch. q. 180. n. 178. Farinac. de hares. q. 180. num. 13. videtur conuenire, si quidem refert hoc dictum Sanchez, nec reprobat. At Suarez, & Bonacina nimia hæc extensio videtur, quia est materia periculosa, in qua non sunt habende laxandæ.

7. Secunda actio prohibita est retentio finis huius prohibitionis est, ne tales libri conferantur, neque sint in rerum natura: quare siue libri sint sui, siue alieni, si tamen illos retines, hanc legem violas, quia iam illos conferas. Et idem est, si apud alios copiosos haberes, quia vere retines, sic Gratias 1. p. de l. 4. e. 18. Durand. lib. 2. in can. 1. q. 51. n. 17. Bonacina n. 15. Sanchez lib. 2. e. 10. n. 31. Suarez disp. 20. sect. 2. n. 21. & omnes communiter.

8. Sed dubitatur primo, an excusetur ab hoc peccato, si ad confutandos errores siue periculo peruersionis illos retineas? Adhuc videtur aliqui, quatenus dicunt ex hac retentione non reddi hæretici suspectum tenentem supradictos libros: sic Itein. in cap. si quis Episcopus, in fine versic. pro quo infertur de hæretico Abbat. tractat. de agnoscenda. assort. Catholice. q. 28. num. 4. & 5. Adde ad Rom. singul. 3. 2. incipiente, et 199. quod ad libri hæretici, versic. limita, nisi repetantur penes aduersum confutandi eos gratia Decian in tractat. crimin. lib. 5. cap. 3. num. 1. versic. limita primo, nisi confutandi gratia. & cap. 26. num. 26. & 27. Malcard de probat. lib. 2. concl. 862. n. 14. Ratio esse potest, quia hæc retentio non fauet hæresi, sed potius destruit. Ergo non debet sub prohibitionem retentionis hæretici hæresis comprehendere.

9. Ceterum hæc sententia retinenda non est, sed affirmanda potius, quocumque siue libros hæretici retineas, abique licentia eius, qui illam dare potest, te incurtere censuram, & sub eisdem hæretici, vt postea dicemus: sic Pegna in add. ad Eym. dir. inq. 1. part. comment. ad cap. fratrum de hæretico. versic. in m. si vero. Vgolin. de censur. q. 180. aut penitentes. versic. quarto excommunicatione. Tolet. 1. i. i. i. cap. 19. num. 9. Sanchez lib. 2. e. 10. n. 53. Farinac. de hares. q. 180. n. 39. & 42. Suarez disp. 20. sect. 2. num. 21. Ratio est manifesta, quia lex prohibet retentionem absolutam, neque enim curat qua intentione fiat. Adde in illa retentione, & restitucione ex propria voluntate accepta, esse potest periculum peruersionis: quia enim firmus esse præsumitur, læpè colit, & laqueis, quos existimabat facile dissolueret, comprehendit. Deinde est in tali retinente nullum esset periculum, sufficit generaliter adesse, & venenum conseruari, quod perire Ecclesie sua prohibitionem intendit.

10. Tertio dubitatur, an ad hoc peccato, & censura excusetur, si breue tempus retineas per vnam, vel aliam diem, et suppositione, quod illos Inquisitori tradere possis. Nā si nihil apparet tibi fideitas, clarum est retentionem non esse malam, vt bene dicit Sanchez statim allegandus. In qua dubitatione Suarez disp. 20. sect. 1. num. 22. distinguit, si animo retinendi librum, absolute retineas, etiam si post horam peniteas, & Inquisitor tradas, censuram non effugies; secus vero si animo tradendi librum ex negligentia per breue tempus non tradas. Priorem partem probat, quia peccatum quod ex objecto, & circumstantiis mortale est, in momento committi potest, quia in voluntate consistit, non in mora: voluntas autem absoluta retinendi librum, peccaminosa est mortaliter secundum omnes, & ex illa procedit retentio exterior etiam brevissimo tempore. Ergo sufficit ad incurrendam censuram.

11. Nihilominus credo probabilius te non incurtere cen-

suram ob talem retentionem: sic docet Sayrus tom. 1. thesaur. casuum lib. 3. cap. 5. num. 16. Durand. lib. 2. in can. q. 51. n. 53. Reginald. lib. 9. num. 256. Bonacina disp. 2. de censur. q. 1. punct. 4. num. 15. Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 55. Videtur consentire Farinacius de hares. q. 180. num. 42. Ratiocinatio est, quia grauitas retentionis non desumitur solum ex libro, quia retinendus est, sed etiam ex tempore, quo retinendus est, quod inde constat: nam si haberes voluntatem retinendi vna hora librum, & statim illum tradendi, non video qua ratione quis dicere possit te grauem culpam commississe? Requiritur ergo ad retentionem grauem mora temporis: ergo si tempus, quo de facto retines librum, breue est, etiam si voluntatem haberes longo tempore retinendi, retentio illa exterior leuis censeri debet ad effectum incurrendi censuram; quia non incurritur censura ex voluntate retinendi, sed ex voluntate executioni mandata, quæ cum non sit integra, & in materia graui exercita, sed in materia leui, non sufficit ad incurrendam censuram, sicut dixi de legere paucas lineas. Et ex hoc fundamentum contrarium manet iocundum. Addendum est hanc excommunicationem extendi ad eos, qui partem libri hæretici legunt, sicut extenditur ad eos, qui partem libri retinent, sic Bonacina n. 15. sine. Sanchez vero cap. 12. num. 52. excusari retinentem vnum tantum folium, quia non videtur tam grauis materia in retentione, quam in lectione: non enim ita grauitur lædit retentio, quam lectio.

12. Tertio dubitatur, an excusetur a censura Bullæ, si cum primum agnoscis librum esse hæretico, comburis?

Respondeo te excusari a censura Bullæ, quia combustio impedit retentionem in Bulla damnata: sic Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 10. num. 56. Suarez de fide, disp. 20. sect. 2. n. 83. Farinacius de hares. q. 180. n. 40. sine. At contrariis excommunicationem latam in Bulla Iulij III. quæ incipit Cum meditatio, quam adducit Pegna in vlt. p. directorij. fol. mibi 115. vbi post alia sic habet. Omnes, & singulos libros, Lutheranos, aut alios hæreticos, seu Lutheranam, aut falsam sectam in se continentem, vel à nobis, & dicta Sede quomodolibet reprobatos, penes se eos ex quavis causa, etiam mercatura, & ex nostra, ac eiusdem Sedis permissione, ac licentia etiam specialia, vt præterit, penes eos existentes, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in ciuitatibus, in quibus libri huiusmodi existunt consignare debeant realiter, & cum effectu, & contra inobedientes apponit excommunicationem, & alias penas aduersus hæreticos latas: & ne aliquis intelligeret supradictam Bullam loqui tantum de personis illo tempore existentibus libris prohibitis, Pius IV. in alia Bulla edita anno 1564. quæ incipit Locum pro munere, supradictam prohibitionem, & censuram extendit ad eos, qui postea habuerint. Idemque canetur in regul. Iudicis librorum prohibitorum autoritate Trident. ed. ti, & Pio IV. confirmat, & iussu Clement. VIII. renouat, & in Bulla Pauli V. pro Hispania regis, quæ habetur in principio expurgatorij. Fines autem huius mandati est, vt auctor libri cognoscatur, & errores, qui in eo sunt, melius emendentur. Quapropter Inquisitores, cum ad eos liber deferretur, intentio, ac debet deferentem, unde habuerit, à quo accepta: & ita tradunt Pegna in add. ad Eym. 2. p. comment. 3. in cap. fraternitatis, de hæretico, versic. propterea. Bonacina disp. 2. de censur. q. 1. punct. 4. sine. Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 56. Azor tom. 1. institut. vniuers. moralium lib. 8. cap. 16. q. 1. Martin. Delio disputat. magic. lib. 5. sect. 17. versic. sunt autem tales Farinacius de hares. q. 180. n. 40. Augustinus Barbola 3. part. de potestate Episcopi; allegat. 90. num. 5. Suarez de fide disp. 20. sect. 2. num. 23.

13. Tertia actio prohibita est impressio, sub qua comprehenduntur omnes illi, qui propter illius causam sunt, quique vere imprimere dicuntur: quos optime enumerat Vgolin. de censur. Papa reseruat. 2. part. cap. 1. ubi bo imprimentes Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 58. Suarez de fide, disp. 20. sect. 2. num. 24. Et enim affirmant comprehendere primo componentes litteras, preparantes papyrum, & atramentum, prementes torcular, & similia: & in his nullus dubitat, cum hæc sint immediatè causa impressionis. Secundo patronum efficiat, etiam si propriis manibus non laboreat, quia vere imprimere dicitur, & impressor nominatur. Tertio autem horem libri, seu eum, in cuius nomine liber imprimitur, quia in communi modo loquendi hic est, qui imprimit. Negant tamen comprehendere eum, qui expensis pro impressione faceret, quia hic valde remotè ad impressionem concurrat, nec imprimere dicitur, neque impressor nominatur. Et idem est de eo, qui litteras atneas, atramentum, papyrum, & reliqua ad impressionem necessaria doceat, vel vendit; sunt enim hæc actiones nimis remotæ. Et idem iudicant supradicti Doctores de correctore, quia hic non tam imprimit, quam impressum suscipit; subito tamen de hoc, quia licet cottigat, & incipiat impressionem, & ex relatione ad impressum, quod suscipit, si tibi fitteretur, non videatur sub imprimente comprehendere: at quatenus eius inspectio & correctio iuvat ad illum impressum iterum emendare in primendum, comprehendere videtur. Adde comprehendere saltem sub

DE  
ASTERO  
ALDAR  
TOMI  
LIB.

sub actione legendi, quia verè librum legit. Denique est aduertendum eos, qui remotè ad impressionem concurrunt, posse fautores hæreticorum esse, si eas actiones præstent, vt hæresi fauant: sic Sanchez *suprà*.

14 Quarta actio prohibita in Bulla Cœnæ Domini, est defensio, siue publica sit, siue occulta librorum hæreticorum quouis ingenio, vel colore facta. Hæc autem defensio, & verbis, & factis coningere potest: factis contingit, si librum oculos, aut alio modo impedit, ne comburatur, nè iudicibus fidei tradatur. Sic Sanchez alios referens, *lib. 2. cap. 10. num. 58*. Suarez *disp. 20. sect. 2. num. 25*. Verbis contingit, si rationes quæras, vt persuadeas librum hæretici non esse comburendum. Item si argumenta dissoluas, quibus impugnatur, vel in sui fauorem rationes inuestiges: etiam si hæc omnia occultè, & solus facias & occasione inquirendæ veritatis: sic Sanchez, & Suarez *suprà*. Sed quid si diceretur: Hic liber optimus est, lectula hæresi, vel non prohibitione, aut combustione dignus? Affirmat Suarez *num. 25*. esse defensionem, quia iam verbis defendis; credo intelligendum esse, quando coram aliis affirmat, secus si nullus audit: tunc enim nulla videtur esse illius libri defensio. Neque obstat, si scriptis in tuo cubiculo librum laudes, vocari defensionem, quia scriptura est quid permanens, & per illam continuò defendis, at verba transeunt: sic tradit Vgolinus *de censur. Papa. reservat. 2. part. c. 1. verbo ac eorum quomodolibet defendentes, num. 2. vers. 3. Sanchez num. 58*. Si autem liber de religione tractat, neque vllam hæresim contineat, non censendus est defensor illius ex eo solum, quod eius doctrinam laudes; quia laudas, quod bonum est; & idem est, si laudes styllum, ingenium, & modum procedendi: ac cautè debes procedere, ne videaris auctori fauere, nè intendere minus bene ab Ecclesia esse prohibitum: sic Doctores *suprà* relaxi, & Farinacius *de hæresi, quaest. 2. 80. n. 12*. Insuper dubitant Doctores, an dicaris defensor, si solum dicas te velle defendere hunc librum? Negant Farinacius, Sanchez, & Vgolinus *suprà*; quia id solum est significare animum defendendi, non defendere; secus verò si iam in proximitate es, & prouocares, ad certamen; quia ipsamet prouocatio, & ad certamen præparatio, est defensio quedam. Ego verò in vtroque casu crederem esse defensionem, regulariter loquendo: quia illa voluntas sic significata retrahit impugnatores, & quasi illos difficiliiores reddit librum subuertere, cum videant habere patronum: quare licet hæc significatio non sit defensio per certamen, sed illius significatio: illa tamen significatio est quedam defensio.

15 Quinto loco possumus de aliis actionibus dubitare, an sub prohibitione Bullæ comprehendantur: scilicet de transcriptione libri hæretici, de quæ illius venditione, a portatione & emptione?

Respondeo hæc actiones, etsi expressè in Bulla Cœnæ non continentur, sub lectione, retentione, vel defensione contineri. Transscriptio enim libri, cum lectione libri, illiusque retentione coniuncta est. Eadem est de a portatione, emptione & venditione, quæ absque retentione fieri nullatenus possunt. Adde decretis supradictis Iulij III. Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. excommunicationem, & pœnas alias contra vendentes, ementes, & a portantes hos libros latas esse, vt constat ex his quæ adducit Pegna *2. part. director. comment. 3. ad cap. fraternitatis, & comment. 17. ad cap. nouerit, de sentent. excomm. & Farinacius q. 180. n. 15. & seqq.*

## §. III.

Circa quas personas cadat hæc prohibitio legendi, & retinendi hæreticorum libros.

- 1 Omnes comprehenduntur.
- 2 Ex speciali priuilegio Inquisitores eximuntur.
- 3 Extenditur facultas ad commissarios.
- 4 Limitatur doctrina in regno Hispania.
- 5 Nullus præter Pontificem dare potest facultatem legendi libros hæreticos.

1 Constat ex Bulla Cœnæ quascumque personas quacumque dignitate, siue Ecclesiastica, siue seculari fulgentes, comprehendendi. Vnde comprehenduntur Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, Cardinales: & ex secularibus etiam Rex, & Imperator; quia in iis, quæ ad religionem, & bonum fidei pertinent directioni Ecclesiæ subduntur.

2 Solum est difficultas, quibus ex speciali priuilegio hoc licitum sit?

Cui difficultati respondeo nemini alteri præter Inquisitores hæreticæ prauitatis esse generaliter concessum: constat ex Bulla Iulij III. *suprà* relata, & ex Bulla Pauli V. & Pij IV. quas omnes adducit Pegna *in fine directorij, inter litteras Apostolicas, fol. mibi 115. & 129*. reuocante omnes facultates Episcopis, & aliis quibuscumque personis concessas, Inquisitoribus, & commissariis exceptis. Ex qua exceptione inferunt plures Doctores

Inquisitores, & commissarios facultatem habere legendi, & retinendi hæreticorum libros. Nam licet in supradictis Bullis positum illis hæc facultas concessa non sit, sed solum excipiantur à reuocatione generali, illa exceptio videtur esse tacita concessio: sic tenet Pegna *director. 2. part. comment. 3. ad cap. fraternitatis, de hæresi, vers. iam hæc prohibitio*. Vgolinus *tractat. de censuris, 2. part. in glossa aut pertinentes, §. 1. vers. tertio in excommunicationem*. Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quaest. 13*. Grassis *lib. 4. de eis, cap. 18. num. 45. fine*. Martin. Delicio *disquisit. magic. lib. 5. sect. 17. vers. solis Pontificibus*. Farinacius *de hæresi, q. 180. n. 43*, etio contra videtur sentire Thomas Sanchez *lib. 2. c. 10. n. 46*. Barbosa *de potest. Episcopi, allegat. 90. n. 8*. Suarez *disp. 20. de fide, sect. 2. n. 28*, affirmant namque illam exceptionem non esse concessionem tacitam.

3 Supradictam facultatem legendi libros extendunt Grassis, Pegna, & Farinacius ad commissarios inquisitionis non solum à Sede Apostolica constitutos, sed etiam constitutos ab ipsis inquisitoribus, quia absolute dici possunt à Sede Apostolica constituti.

4 Limitanda hæc omnia sunt in regno Hispania, vbi solum Inquisitor generalis habet potestatem legendi libros hæreticos, & cui ipse committit, non alius, constat ex Bulla Pauli V. apposta in principio Expurgatorij.

5 Ex his constat neminem à Pontifice, aut cui ipse expressè concesserit, posse dare facultatem legendi libros hæreticos hæresim continentes, vel de religione tractantes, quia in dicta Bulla Cœnæ sibi Pontifex reservat: & Ita neque Inquisitores, neque Episcopi hæc facultatem dare possunt: sic Pegna *dictis comment. 3. vers. quicumque autem*. Sanchez *num. 43*. Farinacius *n. 37*. Azor *lib. 8. q. 7. c. 12*. Barbosa *n. 7*. Concilium autem Cardinalium Sede vacante facultatem concedere nemini poterit, nisi tam graue, tamque cuius periculum immineret, vt omnibus & singulis Cardinalibus videretur celeriter esse occurrendum, quia in his quæ ad potestatem, & iurisdictionem Pontificis pertinet, non possunt se alia via introrittere, vt constat ex *Clemente Romano, de elect. & tradit Sanchez num. 44*. Suarez *disp. 20. de fide, sect. 2. n. 28*.

Dixi non posse Episcopos, neque Inquisitores facultatem concedere legendi libros hæreticos hæresim continentes, vel de religione tractantes. Nam si libri de religione non tractent, neque hæresim contineant, aut ab hæresi conscripti fuerint, dum erant Catholici, aut postquam Ecclesiæ fuerunt reconciliati, optime possunt Inquisitores dare cui visum fuerit facultatem legendi: sic Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quaest. 12*. Pegna *2. part. comment. 3. ad cap. fraternitatis, vers. quædam*. Farinacius *de hæresi, quaest. 180. num. 37*. & habetur *2. reg. expurgatorij Romani*.

## §. IV.

De pœnis impositis harum legum transgressoribus.

- 1 Afficiuntur excommunicatione reservata Sunt de hæresi suspecti, & tanquam hæreticorum fautores puniendi sunt.
- 2 Componentes scienter librum hæreticum, vt hæreticum puniendus est.
- 3 Transcribentes suspensionem hæresis contrahit.
- 4 Imprimentes vltra excommunicationem, tanquam fautores puniendi sunt pœna arbitraria.
- 5 Retinens, vendens, defendens, a portans libros hæreticorum suspectus est de hæresi.
- 6 Arbitrio iudicis relinquuntur, an suspicio sit lenis, vehemens, vel violenta.
- 7 His pœnis solum fideles baptizati afficiuntur.

1 Constat scienter legentes, retinentes, imprimentes, aut defendentes hæreticorum libros de religione tractantes, vel hæresim continentes, esse excommunicatos, excommunicatione reservata in Bulla Cœnæ clausula prima. Secundo constat de hæresi esse suspectos sic legentes, retinentes, &c. Tertio reputari hæreticorum fautores. Vt autem hæc plenus cognoscantur, pro foro externo breuiter singula perstringimus.

2 Et primo dicendum est de componente librum, in quo hæreses continentur: is enim si ex proposito hæreses scripserit, & defensori, vt hæreticus puniendus est, quia est verè hæreticus, cum scienter contra Ecclesiæ sensum doceat, & moti cum deliberatione, quam si verbis hæresim protulisset. Quod intelligendum est, etiam si in principio libri protestationem fecerit, quia contrario facto eam abrogauit; secus verò dicendum est, si non ex proposito, sed quasi per transcursum scripserit hæresim; præsumitur enim non ex malitia, sed ex ignorantia (scilicet; præteritum si res obscura erat; & difficultis, & protestationem fecit, vel alias Catholicus, & probus communi hominum opinione habetur sic tradunt Pegna *director. 2. p. com. 3.*